

Bryn Mawr College

Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College

Hermann Sauppe Library

Bryn Mawr College Publications, Special
Collections, Digitized Books

1826

Lectioes Ciceronianae 2

Karl Friedrich August Nobbe

Follow this and additional works at: <https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks>
[Let us know how access to this document benefits you.](#)

Citation

Nobbe, Karl Friedrich August. 1826. *Lectioes Ciceronianae 2*. Lipsiae.

This paper is posted at Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College.
<https://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks/128>

For more information, please contact repository@brynmawr.edu.

14

14

PROGRAMMA

QVO AD

EXPLORATIONEM DISCIPLINARUM

QVINTI ET SEXTI ORDINIS

D. XVIII. M. SEPTEMBR. A. MDCCCXXVI.

ANTE MERID. INDE AB HORA VIII. VSQVE AD XI. ET POST MERIDIEM

INDE AB HORA II. VSQVE AD V.

ET AD

DECLAMATIONES TRIVM ADOLESCENTIVM

D. XIX. EIVSD. M. INDE AB HORA IX.

IN

SCHOLA QVAE LIPSIAE FLORET NICOLAITANA

AVDIENDAS

SOLLEMNITER INVITAT

CAROLVS FRID. AVG. NOBBE

CONRECTOR SCHOLAE

DR. PHILOS. ET AA. LL. MAG. H. T. CONSILII ACADEMIAE PERPETVI ASSESSOR,

REG. SEM. PHILOL. LIPS. ET ALTENBURG. SOCIET. TECHN. SOD. HONOR. ATQVE

SOCIETT. ARCHAEOLOG. HAL. ET LIPS. ORD. ET HVIC AB EPISTOLIS.

Insunt iterum Lectiones Ciceronianae.

L I P S I A E

LITTERIS STARITII, TYPOGR. VNIVERS.

In programmate nuper emisso locum commemoravi orationis Caelianae c. 16. poëseos Caecilianae plenissimum. In quo alia ad octonariorum versuum trochaicorum numeros facillime posse revocari, alia incertum esse professus sum utrum ex eodem versuum genere derivanda essent, an e senariis iambicis. Horum ego meum aliquod specimen proposui, itemque Weisianum. Quum autem Ill. Hermannus illius generis versus trochaicos verbis subesse iudicasset: a multis me viris harum rerum et studiosis et intelligentibus gratiam initurum esse sperans, quos ille versus eruisset, aperire non dubitavi. Quamquam in tanta discrepantia opinionum et utriusque verborum transpositionis audacia eidem assentiendum duxi, prosam orationem h. l. esse retinendam. Quo autem facilius prior illius loci pars ex ipsorum codicum Mss. indiciiis prisco poëtae restitui posse videbatur: eo aegrius adductus sum, ut in altera parte versuum restituendorum libidini temperarem. Neque enim, qui poëtae auctoritate et vel ipsis eius verbis uteretur, eum non mutata orationis forma versus confudisse aut neglexisse; multo autem minus, qui partim versus afferret, partim verba eum numeris exuta memoriae vitio attulisse, credibile esse mihi videbatur. Tantum autem abest, ut, nisi alia reficiendorum versuum ratio succurrat, ad verborum ordinem, quem libri praestant, accommodatior, haud salva fide historica versus confingendos esse existimem, ut, quod aut ipsi Ciceroni, aut illi, de qua Attico suo saepe queritur, scribarum oscitantiae tribuendum est, vitium, omisso ingenii in comminiscendis versibus lusu, relinquendum esse mihi etiam nunc sit certum. Atqui aliam iam medicinam loco paravit Hermannus noster, tetrametros versus iambicos partim mancos probabiliore coniectura reducere conatus: quos, qua vir praestantissimus prompta est ad iuvanda litterarum studia animi libe-

ralitate, mihi facile permisit ut publici iuris facerem. Sunt autem illi huiuscemodi:

*Cūr te in istam meretriciam
Vicinitatem cōtulisti? cūr illecebris cōgnitis
Eam nōn refugisti? Cur alienam ūllam nosti mulierem?*

Dide ac dissiice,

*Per mē licebit: si tu egebis, tibi dolebit, mihi sat est,
Qui aetdīs quod relicuum est oblectēm meae.*

In his ultimus versus est trimeter, clausulae vices habens. Ante quarti versus exitum, quoniam verba quaedam excidisse videntur, etiam prosa apud Ciceronem relicta, lacunae signum possuisse, e re esse mihi videtur.

Iam ad ordinem proximae commentationis principio descriptum redeo, ne forte obtrectatoribus calumniandi locum faciam, plus me temporis in enucleandis priscorum poetarum locis versibusque metiendis, quam in servanda Ciceronis oratione et restituenda collocasse. Quamquam nondum ad ipsius Ciceronis verba accedo, sed Ciceronianarum quas inscripsi lectionum locum cum eo adhuc scriptore rem habeo, cuius ad Herennium libros rhetoricos nemo quisquam a Ciceronis operibus ausus est avellere. Ceterum h. l. monere liceat in illa, quam modo memoravi, Commentatione p. 17. vers. 6. typhetae aut voculam excidisse ante verba *si a Cicerone*.

Ad Her. II, 3, 5.

„Defensor primum demonstrabit vitam integram, si poterit: id si non poterit, confugiet ad imprudentiam, stultitiam, adolescentiam, vim, persuasionem: quibus [de] rebus vituperatio eorum, quae extra id crimen erunt, non debeat assignari.“ In his Schützius *de* praepositionem delendo orationem se emendasse profitetur. Vitiose additam esse praepositionem nemo non videt. Ego vero quum dubitarem, utrum a librariis, an a scriptore esset addita, satis habui voculam uncis includere. Quid enim? scriptori aliud vocabulum ut *orationi* aut tale aliquod cogitanti et ad alia festinanti facile potuit accidere, ut iuxta vituperationis nomen, in quo communis quaedam inesset notio, nomen

aliud omitteret. Equidem *deinde* pro *de* scribendum esse contenderem, si *non* particulam, ante *debeat* verbum a Schützio expunctam, ob locum Cic. de Inv. II, 12. — vel potius 11. — ab eodem commemoratum eiici debere, mihi persuasum esset.

II, 4, 7.

„Horum quid reo, quid accusatori conveniat, perscribere non gravaremur, nisi facile quivis, caussa posita, posset iudicare. Initia enim inventionis ab arte debent proficisci; cetera facile comparabit exercitatio. *Tempus* ita quaeritur, qua parte anni; qua [die], noctu an interdiu; qua diei, quæ noctis hora factum esse dicatur, et cur eiusmodi temporibus. *Spatium* ita consideratur, satisne longum fuerit ad eam rem transigendam, et potueritne *sciri**, satis ad perficiendum spatii futurum. Nam parvi refert, satis spatii fuisse [ad id perficiendum] si id ante *sciri* et ratione provideri non potuit. Occasio quaeritur, idoneane fuerit ad rem adoriendam, an alia melior, quae aut praeterita sit, aut non exspectata. Spes perficiendi quae fuerit, spectabitur hoc modo: si, quae supra dicta sunt signa, concurrerint; si praeterea ex altera parte vires, pecunia, consilium, scientia, apparatus videbitur fuisse; ex altera parte imbecillitas, inopia, stultitia, imprudentia, inapparatio demonstrabitur fuisse: quare *sciri** potuerit, utrum diffidendum, an confidendum fuerit.“ Hunc locum perspicuitatis caussa totum apposui, ut, quae ad disputationem valerent, quasi digito monstrari possent. Ter autem notavi *sciri* verbum. Sic enim medio tantum loco libri scriptum exhibent. Primo loco fluctuatur lectio. Codicum Oxoniensium, quorum quinque hos libros continent, tres A. G. R. cum Ascensio verba sic referunt: — *transigendam, scieritne, satis* etc. Mss. autem ut videtur Oxx. L. P. Lambinus, Gruterus, Ernestius, alii hoc modo: — *transigendam et potueritne scire, satis* etc. Unus Schützius sic habet: *transigendam, et potueritne sciri, satis* etc. Recte, credo. Haud sane me fugit, accusatoris nomen e superiore oratione facile posse cogitatione suppleri. Sed quoniam scriptor omnino in his praeceptis communibus impersonali forma et huius ipsius verbi genere passivo

infra utitur, non dubito, quin idem iam supra h. l. eandem dicendi rationem inierit. Quam coniecturam mea quidem sententia incredibiliter firmat illa scripturae varietas, locum depravatam esse satis arguens. Quodsi h. l. cum Schützio verum video, ne luscus appaream, infra etiam tertio loco *sciri* scribendum esse arbitror. Nam etsi nulla quod sciam lectionis varietas hic emendationem tuetur: tamen nullius personae paullo ante mentione facta, nunc demum personaliter loqui scriptorem instituere, non est veri simile. Ceterum passiva verbi forma scriptoribus non admodum frequentata, quo minus cognita erat scribis aut placida, eo facilius obliterari potuisse mihi videtur. Neque enim omnibus notum est grammaticorum seriorum illud: *sciendum est, quod* —. Nec vero extinctum esse alterum illud *sciri*, mirum non est, quod ob alius verbi formam passivam, quae adiuncta est, non commode deleri potuit. Quod autem semel servaretur, non saepius servatam esse istam formam, equidem non miror.

Saepissime enim etiam hodie accidit, ut voces vocumque sive formas sive significationes, quas apud veteres raras fuisse aut apud seriores demum invaluisse existimamus, ut cum Horatio loquar, cane peius et angue fugiamus. Unum modo eius generis exemplum memorasse sufficiat, a significatione *et* copulae apud Ciceronem dubia repetitum. Sunt enim, qui quum in ceteris scriptoribus *et* particulam *etiam* valere concedant, tamen in Cicerone pernegent. Cuius opinionis quum nullam rationem idoneam animo reperire possem, sciremque Graecis, quos Cicero diligenter imitaretur, *καί* duobus modis consuevisse dici: semper me dubitasse fateor, an non vera esset illa observatio. Hinc factum est, ut, quotiescumque in dubium eius generis locum inciderem, haesitare solerem, criticisne hominibus, an libris scriptis fidem derogarem. Sunt autem duo illorum locorum genera, unum eorum, in quibus ipsi libri nescio utrum propter istius opinionis vetustatem, an ob solam aliquam scripturae compendiariae lituram variant, aut particulam plane omittunt (v. c. in Verr. V, 25, 62. ad Div. XIII, 23. 24. ad Quint. fr. I, 2, 3. etc.); alterum eorum, in quibus, qui legem illam sequuntur, *etiam* lectore ne

semper quidem monito, interdum etiam *ut* (cf. N. D. I, 30, 83. add. Heindorf.) scribi iusserunt. In his ego librorum fidem, in illis criticorum legem sum secutus. Est vero etiam tertium genus locorum, ubi copula, quamquam non simplicem copulandi, sed manifestam augendi habet vim, tamen non modo librorum testimonio, sed ne grammaticorum quidem iudicio sollicitata est. Huiusmodi exempla haud pauca adhuc in Cicerone reperiuntur, quibus non dubito quin copulae usus apud veteres latius patuisse, facile possit argui. (Vid. Or. pr. Flacc. 10. de provv. Cons. 8. in Verr. 1, 1, 1. ad Att. XI, 9, 2.) Paulinam vero aliquam ea de re commentationem scribere, nunc quidem non expedit. Maiorem vero scrupulum mihi movit usus *cum* — *tum* particularum a novissimorum temporum grammaticis haud improbabili ratione diligenter distingui coeptus. Eandem tamen ob causam factum est, ut multis saepe locis *cum* particula in *tum* mutaretur, quae non semper salva librorum auctoritate mutari potuisse mihi videtur. Ita Schützius recentiorum grammaticorum rationi magis, quam codicum testimonio obsecutus, toties illam particulam cum *tum* particula permutavit, ut *cum* — *tum* voculas oppido paucis in Cicerone locis reliquas fecisse videatur. Equidem qui codicum fidem illi rationi, quoad posse mihi videbatur, praeferebam duxi, quam id recte fecerim, viderint intelligentiores.

Ceterum in loco illo, a quo paullisper sum degressus, quasi per transennam moneo *die* nomen a me uncis circumscriptum Schützi sagacitati acceptum referri. Nam vulgo quidem *hora* legitur, cuius in hac temporum serie nulla fieri potuit mentio. Coniecturae veritatem ipsa loci ratio evincit. Denique, quae iisdem signis notavi, verba *ad id perficiendum* quamquam satis abundanter collocata esse videbantur, tamen, ut Schützi praeunte prorsus eiicerem, non faciendum putavi.

Sed a Cicerone accedo nunc ad rem scholasticam. Cui qui bene cupiunt PATRONI OBSERVANTISSIME COLENDI et FAVTORES OPTIMI rite invitandi sunt, ut et examinibus classium inferiorum instantibus pariter, ac trium adolescentium de-

vi. de seneca 8, 26.
 de off. 2, 9, 33.
 in auctem subsp.
 de nat. 2, 11, 27.
 de off. 1, 20, 192.
 de nat. 8, 26, 207.
 Orat. 2, 6.
 cap. in Att. VII, 26.

clamationibus iudices et testes ea qua solent frequentia et benevolentia interesse velint. Duo sunt autem adolescentes, qui disciplinae scholasticae et studiis communibus vale dicere et iam theologiae operam navare cogitant: quorum alter

CAROLVS ALBERTVS FRANCISCVS CHEMNITZ,

LIPSIENSIS,

ubertate ingenii, studiorum constantia morumque severitate nobis omnibus maxime commendatus, carmen Latinum dicet *de laude poeseos*. Hac enim ita delectatus est, ut, quum saepe alia nobis, tum etiam his diebus haud illaudabile suorum hoc in genere studiorum specimen edidisse videatur; alter

THEODORVS MAVRITIVS FRENKEL,

GROSSBÖHLA-MISNICVS,

qui in litteris strenue et feliciter elaboravit et probitatis comitatusque laudem semper obtinuit, orationem Latinam habebit *de Graecorum in libertatem se vindicandi conatu*. His respondebit ceterorum commilitonum nomine, carmen Germanicum recitaturus,

HERRMANNVS SCHVLZE

DELITIENSIS,

discipulus bona de nota nobis commendatus.

Post hos commemorandus est, qui quum habito iam examine verno in academiam subito abiisset, in superioris programmatis annalibus nondum est nominatus:

IOANNES ALBERTVS IAGE,

LIPSIENSIS,

morum probitate conspicuus, in litteris autem ambitiosius, quam felicius versatus.

Haec habui dicere. Ut autem precibus meis quicumque nobis et scholae nostrae favent, benignas aures praebeant, id est, quod valde optamus. Scr. inter ferias Forbigerianas.